



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 130. Cæsaris ac Galliarum Regis Oratores ad Ferdinandum missi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1510.

§. CXXX.

*Cæsaris ac Galliarum Regis Oratores ad Ferdinandum missi.*

Equidem Turronibus sancitum erat, proximo tempore Generalem Synodum esse celebrandam, ad quam tamen, ne Ferdinandus Hispaniæ Rex suos Prælatos venire prohiberet, Cæsar, atque Galliarum Rex haud temere suspicabantur; cum igitur horum præsentia oppido necessaria esset, ambo Principes ad Hispanum Legatos decernunt, rogaturos, ut disertis verbis declararet, an eorum amicus, vel adversarius esse vellet. Iisdem quoque Legatis injunctum, ut Ferdinando geminam Cameracensis Foederis violationem exprobrarent, quarum prima quidem contigit, cum ejus Legatus, quem in aula Pontificis haberet, Ciamontium a Bononiensis urbis expugnatione præpediisset; altera autem illius pacti transgressio erat, quod subsidiariæ Hispanorum copiæ absque Cæsaris consensu e Continentis Venetæ ditione excessissent. Nilominus præcipuum Legationis argumentum erat, ut Regem Catholicum inducerent, quatenus non modo Synodi celebrationem ratam haberet, sed etiam eidem Præsulum e Regno suo confluentium

tium frequentia auctoritatem conciliaret; **Sæcul. XVI.**  
 hanc in rem Legatis datum est negotium, **A.C. 1510.**  
 ut Regi insinuarent, Gallis, Germanis,  
 atque Hispanis in unum coeuntibus, nil  
 certius esse, quam Julium Pontificatu deji-  
 ciendum, in id quoque magnam Italiæ par-  
 tem absque controversia conspirare, eo-  
 quod complures Julii arrogantiam, atque  
 vexationes permoleste ferrent; reliquam  
 Christianæ Reipublicæ partem plurimo-  
 rum judicium haud cunctanter secuturam,  
 proin Synodum optatum sortituram suc-  
 cessum, si vero Hispani Pontifici faverent,  
 eumque tueri niterentur, vel neutrius par-  
 tis studio adhærerent, eos abs dubio e-  
 jusmodi Schismati ansam duros, quod  
 Ecclesiæ exitiosum non modo Hispaniam,  
 sed cetera quoque Christiani Orbis regna  
 indubitanter gravissimis turbis involve-  
 ret.

## §. CXXXI.

*Hispaniæ Regis responsum ad  
 Legatos.*

Ergo Legati his verbis instructi, Bur-  
 gis adveniunt, ac Ferdinando Regi,  
 qui tum ibi agebat, Principum suorum  
 mandata exponunt. His respondit Rex  
 Catholicus: Non equidem Ciamontio de-  
 est specietenus vera de Legato meo que-

M 4

rendi